ALEXANDRI PERLASCHÆ

De rebus gestis

IOANNIS AVSTRIACI

FRAGMENTVM HISTORIÆ.

MEDIOLANI, MDC LVII.

Ex Typographia Ludouici Montiæ ad Plateam Mercatorum. *Superiorum permissu.*

DEcimum iam annum pro Rege Catholico Belgium administrabat Archidux Leopoldus Austriacus, quum in eo prouinciali munere fortunæ toties variantis pertæsus diligenter tum literis, tum per viros in aula primarios agere cum Rege institit, vt sibi eius voluntate de prouincia liceret decedere. Quod quia minus procedebat, surdo ad ea Philippo IV. ipse ad Regis velut expugnandam voluntatem vsus eo telo est, à Cæsare se iam diù in Germaniam ad armorum imperium, átque ad belli capessenda munia vocari: fratris se voluntati & auctoritati deesse nullo modo posse. Ergo Leopoldo missionem petenti tum crebrius, tum enixius, quàm vt Regis facilitas diutius posset refragari, responsum à Rege fuit: Quando Leopoldum aliò vocarent rationes Imperij, nolle se eius studijs diutius aduersari: ei mox affore ex Hispania, átque adeò ex aula ipsa successorem; cuius si opperiri non grauaretur aduentum, venientíque prouinciam traderet, facturum amicissimè Leopoldum, & pro sua erga se ipsum tam propensa voluntate. Simúlque datę ad Ioannem Austriacum literæ cum mandatis, vt cum primum per anni tempus licuisset, in Belgium ad capessendam earum prouinciarum curam, átque administrationem maturaret proficisci: comitésque secum perquàm paucos adduceret, quòd iter esset approperandum, & eam profectionem, quoad eius fieri posset, clam haberi, interesset permagni. Igitur Austriacus vere primo,

cum paucos admodum in adornanda Belgica profectione dies consumpsisset, duas è Neapolitana classe nactus in portu naues, pridiè nonas Martij, cum diei iam vesper esset, Barcinone soluit è portu. Triremem, cui nomen diuo Ioanni fuit, ipse conscendit cum paucis aulicis, qui scilicet, cum transmisso mari littus attigissent Italiæ, expediti omnes in equis, se possent magnis properantem itineribus comitari. neque enim plures nouem fuere, átque sanè inter eos Fernandus Carilius honorarius Austriaci cubicularius, átque Stabuli præfectus. Sed enim præter hanc Principis cohortem exiguam sustulit nauis eadem vectores clari nominis aliquot, artísque bellicæ apprimè gnaros, Aloysium Podericum, in Catalauniæ regno castrorum præfectum: & Amatæ Dominum, in regno Nauarræo rei tormentariæ moderatorem, qui tum ad geminarum in agro Neapolitano prouinciarum præfecturam proficiscebatur: ac deníque Marchionem Ioannem Franciscum Serram, qui cum rei militari per aliquot annos in Catalaunia præfuisset, summis tandem precibus reditu ad suos in Italiam impetrato, Mediolanum cum eodem armorum imperio reuertebat. Sequebatur triremis altera, cui à diua Agata nomen fuit. ea quóque vectores tum multos, tum genere, fortunáque claros deportabat in Italiam. Iam verò, quæ fortuna, quàm dispar nauis vtriúsq; fuerit, cum eisdem vtráque auspicijs profecta fuisset, iam expediam. Principio satis ex sententia triremes vehebantur, quum subitò vis acrior venti ciere fluctus, & mare vehementius concitare. Tenuere tamen, quamquam ægrè, naues cursum institutum, & nonis ipsis Martij Alcudiæ portum ad insularum Balearium alteram intrauere. Ioannem inibi triduum aduersi venti tenuerunt. ei dum transitum expectat tempestatis affertur nuntius, myoparonem sese in eundem portum recepisse, missáque protinus, vt moris est, ad explo-

plorandum ſcaphâ ſpeculatoriâ, cuia eſſet ea nauis? vnde ſoluiſſet? quidue petens inuecta in eum portum fuiſſet? diligenter exquirit. Qui miſſi fuerant, poſteaquàm omnia certa retulere, vnum illud adiecerunt: trepidatum plus ſatis inibi à nautis, & à Nauarcho fuiſſe: plena adhuc recentis conſternationis ibi eſſe omnia. Námque illis haud ità procul à littore obuias fuiſſe quatuor naues piraticas, quas protinus ad eos opprimendos, tanquam ad certam, paratámque prædam, infeſtis armis animíſque accurriſſe. Rem ſanè fuiſſe proximam exitio, ſtuperéque eis adhuc imagine periculi ſuos ipſorum animos in tanto diſcrimine: quod vix ſperare auſi fuerint, ipſos remis peruiciſſe, ſe vt barbarorum è manibus eriperent. Haud vana aſſerebantur: néque tamen digna res viſa Ioanni Auſtriaco, quæ vento ſubſidente profectioni moram afferret. Tertio poſtquàm inſulam attigerat die, quod lenita paululum vis venti eſſet, iuſſi confeſtim nautæ ſoluere oras, curſúmque ad Balearem alteram intendere. Prima luce triremes exceſſerant è portu; néque ità multum proceſſerant, quum tres eis naues in ipſo freto, quo gemellæ dirimuntur Baleares, apparuerunt. vix quiſquam dubitare piraticas eſſe, & latrocinijs aſſuetas, átque adeò eſſe eas ipſas, quæ paulo antè impetum in myoparonem feciſſent. Principio quum Auſtriaco adhuc erat integrum indè retrò in eundem, vnde profectus erat, portum redire, multa indolis iuuenem regiæ permouerunt, cur mallet pergere, qua cœperat ire via: hoſtis periculíque contemptus: tum etiam quod cum procul nihil aliud præter paucas naues appareret, de barbaris nondum res erat ad liquidum explorata: ac deníque ne ſi Alcudiam è medio curſu repentè naues auertiſſet, illa ſuarum triremium ſubita conuerſio turpem timoris confeſſionem, fugæque ſpeciem haberet. Cæterùm vt primùm ſignáque, & arma ex propinquo ſunt co-

gnita;

gnita ; & vbi nostris, quinam ij mortales essent, & quam artem percursando mari factitarent, est omnis exempta dubitatio, eóque amplius quum se peti eis armis, & vim átque certamen adesse senserunt ; ingens repentè pauor multitudinem cepit, & classiarios, sociósque nauales ; néque tantùm pauor, sed passim totis triremibus trepidatio, comploratióque. Ioannem, qui agmine ad iter magis, quàm ad pugnam composito festinabat, cum si res ad arma veniret, nulla parte virium se parem futurum certò sciret, milites sui, remigésque, néque ij magis, quàm præsentis æstimatio periculi facilè permouerunt, vt necessitati cederet, & omisso ad alteram Balearem itinere, cursu Alcudiam repeteret. Sed serum nimis consilium fuit, & sicut tùm quóque ratione prudens, ità euentu inefficax & inutile. Nam cum remiges quanto maximo nisu possent, conuersas retro naues concitare conarentur, quod vna salus ea foret, si vitato prædonum occursu maturè portum occupassent, repentè ventus ab Alcudia vehementior mare concitauit, vsúmque remorum omnem intercepit. In tanto rerum discrimine, cum hinc nostros furialem in modum sæuiens tempestas oppugnaret, hostibúsque spoliandos, & si Deo placet iugulandos, pænè traderet in manus : indè fugientium tergis piraticæ naues imminerent ; nihil vt in re trepida, átque pænè deplorata visum est magis consultum, quàm proximè oram, littúsque tenere. Alueo triremes plano sunt, multóque minorem, quàm onerariæ, quæ tantùm velis aguntur, aquarum altitudinem postulant : ob eámque causam innocuè summa quóque littora possunt abradere, quæ sunt maioribus nauigijs inaccessa, ne cum extremo salutis discrimine vadis, syrtibúsque inhærescant. At enim ne quâ possent Hispani aleam effugere certaminis, quod instabat ab Afro, eis hic quóque conatus cessit improsperè : cum & littus eius oræ mare præaltum ac profun-

dum

dum habeat, & vis eadem ingruentis ex aduerso venti triremes ab littore in altum vrgeret. Cæterùm hostis vento secundissimo vsus, dum nostri hæsitant, & magis animis átque sententijs, quàm salo æstúque fluctuant, breui superuenit. Qui sese trepidis à fronte inferens, vixdum intra teli iactum fuit, cum Hispanos cœpit incessere telis, & vndíque in ora, in latera iacula torquere. Eo magis qui cum Ioanne geminis vectabantur actuarijs, pauore obtorpere. Viam cum ad salutem vix iam vllam putarent superesse, tristi silentio hærere fermè vniuersi; eísque quocũque oculos intenderent, seruitus, catenæ, diráque omnia, mors deníque ipsa, barbarorum scilicet arbitrio crudelissima, non animis modò, sed propè oculis obuersari. In eo statu res erat, quum aulicorum fidelissimos ea præcipuè cura anxios habebat ac sollicitos, quemadmodum Austriacum, sæculi gemmam, eriperent è tanto discrimine, átque sibi velut in manus traditum à Philippo Rege tam pretiosum depositum, reposcenti mox parenti reddere possent incolume. Propterea quanto quísque gratia præstabat & auctoritate, tanto præferuidum iuuenem orabat impensius, ac obtestabatur, vt quando nulla parte virium pares Mahometano essent, non multitudine armatorum, armorúmque apparatu, non nauium numero, ac deníque nulla re alia; confestim paratam in scapham è naui desiliens, quam nullo negocio, si paulum remiges conniterentur, applicare littori possent, maturè subduceret sese certissimo periculo, ac se Belgarum prouíncijs, Regíque seruaret incolumem. Nam quæ ratio esset cunctari in ea re, vbi mors, aut etiam deteriora morte vincula, & à barbaro procacissimo ludibria, moræ pretium esset futurum? Diui enim meliora, quàm vt heros eiusmodi, tot rebus gestis, gerendísque, in medio cursu tot victoriarum, æui sui in flore, suæ sapientiæ, modestiæ, iustitiæque datis orbi tàm multis velut obsidibus, repentè barbarorum

iaculis,

iaculis, exitu ſcilicet inglorio, (quod omen dictu quóque, & cogitatu triſte, fœdúmque ſuperi omnes auerterent) ſuos ipſorum ob oculos extingueretur. Per caput, vitámque Regis, per quicquid maximè coleret in terris, cœlíſque, parceret ſibi, néque committeret, vt in aleam tanti caſus ſe, regnúmque Parentis daret. Quid enim tum propius, quàm vt omnes aut captiui Tunetim abducerentur in ſeruitutem: aut ſi ſeruitute mors potior eſſet, vindicéſque vitæ, libertatíſque ſuæ, ità vt viris fortibus dignum eſſet, pati mallent quodcúmque ille caſus tuliſſet, victimarum inſtar confoſſi, iugulatíque mactarentur? Nam ſi ferro experiri eſſet animus, quale demum futurum certamen, in quo paucos plurimi & confertiſſimi: inermes & imparatos inſtructiſſimi aggreſſuri forent? cum ne ſatis quidem temporis ſuppeteret, vt tormenta, quæ triremium in loco depreſſiore, compoſita cumulo, iacerent, expedire diſponeréque poſſent ad prælium. Hæc pro ſe quíſq; amantiſſimè, fideliſſiméque ſuadere, obteſtaríque, ne ſecum omnia traheret in præceps, ne temerè vniuerſa perditum iret, ne Regis rationes conturbaret omnes, néue ſi quid ſecus eueniſſet, (quod ſi abnuere pergeret, haud dubiè futurum apparebat,) dolore infinito cumularet Regis parentíſque orbitatem. Quanto hæc dicebantur cùm amantius, tùm ardentius, tanto minus valebant eò, vt ſolus vellet ſaluus eſſe, aut amicorum cariſſimos tam benè de ſe meritos, in extremo diſcrimine poſſet derelinquere. Ergo nullis cuiuſquam precibus, aut monitis, nullíſque néque ſingulorũ, néque vniuerſorum obteſtationibus dimoueri ſe de ſententia paſſus eſt Auſtriacus, vt deſerendi comites, átque in tutum euadendi vellet auctores audire. Inter hæc mutuæ caritatis ac potiùs pietatis officia Maurus iam eò ſubierat, vt noſtros è proximo certis iaculis configere poſſet. Nec mora. plumbeam procellam durum in armis genus Afer effundere inſtitit in

noſtros,

noſtros, & ictibus è loco ſuperiore libratis, ſæpiúſque repetitis glandes affatim ingerere. Portus erat in proximo: eò ſe noſtri, quantum velis, remíſque accelerare poſſent, maturabant in tutum recipere. Sed eam quóq; ſpem fortuna deſtituit. námque dum propè littus, vitandi congreſſus causâ, noſtri effuſo feruntur curſu, ſeſe eis obuiam è promontorij flexu quarta Maurorum nauis oſtendit. Ioanni Auſtriaco in tantis rerum anguſtijs, támque multiplici diſcrimine, cum hoſtium claſſis ancipiti obiecto terrore vrgeret à fronte, inſtarétque eadem à tergo, tamen néque animus in re ſubita, néque conſilium ad omnia defuit. Is eo metu, ne circumuentus opprimeretur in medio, aut cinctus velut indagine, ludibrio foret hoſti ſuperbiſſimo, circumagi repentè proras iuſſit, validóque remorum impulſu, curſúque contento, cum vtráque triremi euectus in altum eſt: breuíque tempore, Deo supernè cœptis aſpirante, aliquanto ſpacio reliquit hoſtem à tergo. Interea dum ſuos Auſtriacus remiges, ac dum illi viciſſim naues ſuas incitant, opéque ſumma nituntur, illud percommodè cecidit (ſiuè id Diuûm munus, ſiuè caſus fuit) quod ex inſperato ſe magna parte remiſit æſtus, ventúſque; quo quum deſtituuntur onerariæ, (nam id genus nauigia tantùm velis aguntur) mirum eſt quemadmodum hæreant immobiles. Noſtros conſpicatus abeuntes Afer, mox & longius progreſſos, cum vento propè in totum ſubſidente, átque proptcrea vix iam vllo velorum vſu, ob eam cauſam ipſe multo ſegnior ad inſequendum eſſet, frendens geménſque ſortem ſine fine ſuam incuſabat. Aliquandiù cum hæſiſſet Afer in ſumma inopia conſilij, repentè vno agmine vniuerſæ Maurorum piraticæ naues, omiſsâ feſtinantium noſtrarum inſectatione, aliò perquàm lenta nauigatione ad alteram inſulam Balearem iter intenderunt. quod ventíne ſecundi captandi cauſa fecerint de induſtria, an noſtrûm aſſequen-

 dorum

dorum desperatione, neutrum liquidò possum affirmare. Neq; diù, quod fortasse votis omnibus expetierant, fuit Afris expectandum. Námque vix paulum erant ab eo loco progressi, quum vocati ventorum flatus affuere, Eurúsque ab ortu Solis vehemens & acer. Tum verò spes Afris rediјt posse rem confici, nullóque negocio se posse de manubijs nostris ditescere: Hispanos quantacúmque demùm contentione virium non potuisse tantum prouehi, quin eos si modò ipsi spoliorum ac prædæ meminissent, & eisdem velut vestigijs, fugientibus insisterent, possent paucis horis adipisci. Ergo piratæ, auri gens auidissima, quos paulo ante præcipuus ex amissa præda vrebat dolor, haud vltra cunctati, quàm vt antennas aptarent, qua parte viderant trepidâ fugâ nostros euasisse, eâ se ad illos insequendos dederunt. Hispani, (quæ sunt humanæ vicissitudines,) alternis læti, tristésque, cum se periculo defunctos falsò crederent, átque de Afris pænè iam sine cura essent, repentè quaternas piraticas summa festinantes felicitate conspicantur. Atque sanè eo spectaculo plus satis trepidi, dum cogitant, quàm grauis aduersarius sibi à tergo immineret, quàm cum acri hoste, átque ab omnibus rebus instructo res sibi esset futura, quàm deníque nullo ad receptum vicino portu instaret ineluctabile malum, frustra scilicet effugium, quod miseris nusquam patebat, circumspiciunt. In ea consternatione, dum alij remigum laborem intendere student, alij tumultu ad sua munia discurrunt, pársque maior formidine torpens fati sui sortem expectat, interea propius in singula momenta hostis abesse. Vbi rursus ventum eò, vt missilibus res geri posset, tormentis admotus confestim ignis à Mauro, ac in nostros ex omni parte vis ingens pilarum emissa. Ne qua spes foret euadendi, paucas Mauræ plures circumsistunt, ac terrore multiplicato tùm sclopis feriunt: tùm contos, micantésque gladios in ora intentant:

tant: tùm etiam in triremes desilire, iniectóque vnco illigare nituntur, nec vna alteráue impressione contenti impetum sæpiùs instaurant, perpetuáque iaculatione sæuum telorum imbrem coniiciunt. Quacúmque se hostis infert, terrorem spargit, aliorúmque super alios edit stragem. Funesta facies erat hinc Maurorum ingruentium ex aduerso, & hastis, acinace, fistulísque sæuientium: inde vulneratorum ac morientium, cum inter mutuas complorationes sæpè plures vno ictu discerperentur, átque cum ipsa quóque perfringerentur latera nauium & armamenta. Sed enim Mauro erat illa cura præcipua, remos nostrarum nauium detergere, remigésque & nautas configere, vt ministerijs destitutæ triremes facilius in potestatem venirent. Tantum cum esset ab hoste negocij, ne intra naues quidem quietæ res fuere. tumultuatum à socijs naualibus est, qui conterriti multiplici mortis imagine, nullóque iam néque dignitatis & existimationis, néque patriæ ac libertatis respectu, cum mallent qualemcúmque vitam quacúmque seruitutis vel iniqua, pudendáque conditione depacisci, quàm telis finire vitam, & spe nulla salutis tandiù de salute dimicare, deditionem properabant. Spectabátque res haud dubiè ad seditionem, nisi Ioannes Austriacus qua pauidos confirmando, qua leniter castigando contumaces, vtrásque ad saniora consilia reuocauisset. Intereà dum sedat Ioannes turbæ naualis tumultum, vix iam vltra se vndíque inferenti Mauro potest obsisti. cæduntur passim totis nauibus permulti, & quanto quísque manu promptior, tanto magis obuius, paratúsque hosti sæuienti. Ad viros quóque primarios è comitatu Ioannis Austriaci, dum hastis & gladijs inuadentem actuarias Maurum proturbant, eius diei clades peruenit. Nam Aloysio Pederico brachium plumbeo missili confixum: Fernandóque Carilio effossus oculus: ipse quóque Prætoriæ magister,

 & gu-

& gubernator (Comitum vocant Itali) glande plumbea exanimatus. Sed longè plurimum detrimenti eo die res Hiſpana cepit Ioannis Franciſci Serræ Liguris interitu; qui dum opis ferendæ cauſa in omnes partes accurrit, & vbicúmque plurimum periculi videt eſſe, ibi præſto eſt, ac ſe fiſtulatoribus incautius objicit, aduerſo corpore vulnus accipit, ex quo intra paucas horas extinguitur. Hunc vitæ finem habuit bello vir inclytus, erga Regem Cath. fide, ſtudióque ſingulari, & quam laudem pauci requirunt ab eis, qui caſtra ſequuntur, eximia quadam & minimè fucata pietate. Ipſos octodecim annos ſtipendia meruit Hiſpanica, principio in prouincia Mediolanenſi tribunus Neapolitanæ legionis: tum rei tormentariæ præfectus: poſt aliquanto præfectus caſtrorum ac deníque in Catalaunia, Ioannis Auſtriaci ſub auſpicijs, totius Hiſpanicæ militiæ moderator. Is demum rebus in Italia multis locis, & apud Gironam, Palamóſque, & Barcinonem in Catalaunia fortiter ac feliciter geſtis clarus, in Italiam ad rem militarem in prouincia Mediolanenſi adminiſtrandam redibat. Virum eiuſmodi, caſus eius diei eripuit; multáque tum maximè, átque ſalubria meditanti mors, tempore ſcilicet alieniſſimo, interuenit. elutis ſemel, iterúmque animi ſordibus, traditâque Domino Amatę gemmâ, quam triſte, ſupremúmque munus Genuam ad vxorem deferret, relictóque apud Inſubres incredibili deſiderio ſui, inter manus, lacrymáſque amiciſſimorum expirauit. Iacentem inuiſit Ioannes Auſtriacus, qui talis viri tam indigna cæde magnoperè indoluit. Me huc prouexit dignitas viri, redeóque iam ad inſtitutum. Extremis in rebus, cum procedente certamine nihil vſquam eſſet æqui: & continens pilarum grando hominibus, nauibúſque exitium haud dubium minaretur, fraude inſuper, pro ſuo punico ingenio graſſatus Afer eſt. quod lentius expectatione res procede-

ret,

ret, prædæque adamatæ & oculis ſubiectæ barbarus auidius inhiaret, quàm vt quantulamcúmque moram poſſet pati, nihil interim omiſſa oppugnatione, placuit hortaminibus, ac benigna oratione cunctantes aggredi. Ob eam cauſam frequens & concionabundus conſtitit in proris: & qua periculis haud ſanè vanis commemorandis: qua ſpem oſtentando libertatis, ſi voluntate in fidem átque in deditionem conceſſiſſent: qua etiam onerando promiſſis, ad transfugiendum pellicere inſtitit. Hæc ab Mahometano, à pirata, & eo quidem Afro iactata, cuius & fluxa fides, & plerúmque vana promiſſa, & ſemper ſuſpecta benignitas; tamen in tanta magnitudine periculi à pleríſque ſociorum naualium ſunt audita cum aſſenſu. Iam de integro gliſcere furialem in modum ſeditio, vultúque contumaci poſcere finem tantis periculis, & munia palam detrectare. Remigum, qui vincti nauim remis impellunt, ſingularis eo die improbitas fuit. ij tum odio ſeruitutis, ac diri ſui miniſterij, quod maximè omnium rerum execrantur: tum hoſtium inuitatu prolixè promittentium omnia, in ſpem venere, ſe aut eo caſu, aut certè nullo manumittendos eſſe: callidéque captato eo tempore, quum vnam ſalutis vniuerſæ rationem in ſuo ipſorum conatu poſitam Ioannes habebat, cuncti nefaria conſpiratione criſtas erigere, ſeditioséque poſcere libertatem; eam niſi adipiſcantur, etiam interminari: átque iam moliri catenas, nitíque ſi demere ſibi poſſent vincula. Dum hi in eiuſmodi petitione, conatúque flagitioſè pertendunt: negántque ſe alia lege, quàm certa libertate remigaturos, tres interea voluntarij remiges ex eis, qui diurna ſtipe operam nauarchis locant ad remum, incertum metu mortis in tanto pereuntium numero, an ſpem ſequentes præmiorum ingentium ex indicio, quod Afris edituri erant, ſe, qua cuique proximum eſt, in mare demittunt, ac nando ad hoſtes peruadunt.

uadunt. à quibus in naues excepti, cum Ioannem Austriacum illis vehi triremibus indicassent, simul cumulauere inæstimabili Mauros gaudio, simul curas eis intendere, ne ipsis incuriâ suâ, spolia ex tali captiuo tam opima perirent. Ioannes contra, quo minus dubitabat monstratum se Mauris esse, quæsitámque à transfugis Afri gratiam indicio; eo impensius laborare, vt consternatos ad seditionem remiges deliniret. principio circumire ipse foros, transtra & scalmos: temporíque conuenientem orationem adhibere: blandéque modò singulos, modò vniuersos reuocare ad ministeria. At posteaquam seu formidinem, seu cupiditatem imperio potentiorem vidit, clausásque suis monitis, ac penè precibus aures sensit esse remigum, vt néque auctoritate imperantis, néque præsentis maiestate permouerentur, sed infra scalmos occulto loco se se condere, contumacíque silentio, & animis coniuratis, pertinacissimè in eadem impudentia persistere, minas exinde vultu contractiore instituit adhibere, átque adeò & verbera ingerere. Sed tamen cum ne malo quidem, vt frugi vellent esse, compelli possent, tum verò ad illud extremum descendit Ioannes, vt liberos fore omnes pronunciaret, si ope ipsorum incolumis euasisset. Ea vox demum maximum tunc momentum ad salutem fuit. Vna scilicet libertas per eam contumaciam quærebatur, quam ab vtris acciperent, nihil intererat, nisi quod illinc promitti prolixius, hinc fide meliore exhibitum iri, certò scirent. Ergo summa remigum alacritate vox ea excepta est: protinúsque dedere se Ioanni, vt quicquid vellet, mandaret, se imperata enixè facturos. qui sanè deinceps tum ad probandum Ioanni studium suum ac industriam, tum ad obliterandam superioris offensæ memoriam, pensandámque proteruiam, quicquid positum in virium contentione fuit, strenuè totum exeruerunt. Rem inclinatam, ac propè iam perditam vigor

animi

animi Ioannis Austriaci tùm haud dubiè restituit. Nam perfossa multis locis nauium latera, rarique nautæ ad sua munia, ac deníque detrectantes laborem remiges, hæc vniuersa rem planè Afris prodiderant. at ij maturè pacati fuerunt: quò deníque accessit & ipsorum latronum socordia, qui ab certa, exploratáque spe prædæ multo iam facti indiligentiores, omisêre deníque iacula: postremò ventus quóque se per interualla remittens, tunc sanè, velut diuûm dono, peropportunè Mahometanos destituit: spaciúmque, quod eisdem paulo ante contigisse docuimus, datum nostris, vt primo se fistularum subducere iniuriæ possent; mox etiam vt suas actuarias extra balistarum iactum possent euehere. Intereà vesper iam serus, & primæ tenebræ adesse. néque tamen Afer insequendi consilium omittere, néque ad multam vsque noctem à nostris nauibus oculos deijcere. Plus satis de præda solicitus, quam videbat è manibus amitti, eatenus fugientibus institit, donec luna pernox, nitidíque lumen syderis fugam ei nostram & cursum ostendit. Secundâ fermè vigiliâ ab oriente intendêre se cælo atræ nubes, quæ condito syderis nitore fugientes texerunt, quum subitò nouus ac pænè pristino maior terror incutitur. flatibus violentis, ac repentinis mare mirum in modum inhorrescere, ventóque magis, ac magis increbescente volui fluctus immensi. ipsæ triremes pelago magis in singula momenta sæuiente iactari, vndíque euerberari. Nostri cum ventis diù frustra luctati, cum aduersus ipsorum impetum nihil opis esset in remis, nihil in gubernaculis, quod in malis supererat vnum, consilium à præsenti necessitate ceperunt, se vt ventis ipsis ad incertam spem salutis permitterent, ac se deuehendos dederent, quamcúmque in partem illi deferrent. reliquum eius noctis, diémque qui est insecutus, & proximum tenuit ea tempestas, multum attonitis, mœrentibúsque

búſque noſtris, qui pericula ex periculis ſeri, & pro veteribus noua ſemper diſcrimina ſubeunda viderent: ac deſideratis è ſuo numero tam multis, cum ipſi malè mulctati vix inſtantium ab tergo piratarum effugiſſent manus, modò vrgentibus ad meridiem ventis abripi ſe, átque protrudi pænè certam ad perniciem ad Africæ oram maritimam cognoſcerent, vbi leuius nihil, quàm ſeruitus; aut ad cautes, ſyrtéſue naufragium expectandum eſſet. Cæterùm dum ad hunc modum conflictatur prætoria, interea ab altera triremi, cui nomen fuiſſe diuæ Agatæ meminimus, ter editum fumo ſignum eſt. Ea verò militaris quædam velut teſſera fuit, opem rebus afflictis implorantium. Néque dubitatum à Ioanne rem inibi apud comites in extremo diſcrimine verti. Sed néque flectendi curſum, átque in ventum aduerſum obnitendi, tam exaſperato fluctibus mari, erat vlla facultas: néque ſi ea maximè fuiſſet, ratio erat, cur ſe ſponte prætoria in laqueos eoſdem indueret, è quibus ægrè ſe toties explicuiſſet, & pro vna triremi, vtræq; ſe temerè in diſcrimen conijcerent. Sed qui ſeorſum caſus diuæ Agatæ nauim afflixerit, iam expediam. Eadem hæc procella, quæ nocte exorta intempeſtâ biduum vexauit prætoriam, cum aut grauior in minus firmam alteram triremem incumberet: aut ea à minus ſciente nauarcho gubernaretur, nautarúmque pars maior ſopiti affecta labore ac vigilijs, átque maximè omnium, animorum ægritudine corpora, modica quiete curarent, primò ſtatim impetu malum eius diffregit. In tanta iniquitate rerum, cum mens quóque, animus, átque conſilium nautis excidiſſet, clauda, mutiláque triremis prima luce piratis eiſdem Capreram apud Inſulam occurrit: qui denuò trepidam, rebúſque diffidentem ſuis terrore, teliſque adorti fuerunt. Tum verò cunctati nautæ vectoréſque, & epibatæ parumper ſunt, dum fruſtra ſuppetias expectant à

prætoria;

prætoria; quæ demum cum nullæ apparerent, nec iam vltra vis piratarum átque impetus posset sustineri, sine certamine se tradiderunt Afris; à quibus direpta propè momento nauis est, vectorésque in seruitutem abrepti, átque inter cæteros duo germani fratres Mediolanenses, Comes Io. Baptista, & Abbas Carolus Airoldi; elegantissimi ephebi, mirifica suauitate morum, ac indole animi, omnibúsque cumulati ornamentis; qui cum ante annum tertium Salamanticam Iurisprudentiæ causa concessissent, suum reditum in patriam inauspicatò in Austriaci aduentum distulerant. Ergo duarum nauium altera iam in casses illata, prædæ cesserat piratis: altera, quando secus non poterat, vim secuta Boreæ vehementioris, qui ferebat in Africam, tum cum maximè periclitabatur. hæc ipsa verò tametsi demiserat antennas, quo minus in se ipsam vento liceret: & geminas anchoras iecerat, quæ prægrauantes à puppi, cursum nimis præcipitem inhiberent; tamen leucas amplius duas horis singulis procedebat. Iam quo propius ad Mauritaniæ fines ventum erat, eo spes minor supererat, nostros inde receptum in locum tutum habituros: quum ea res, quæ solet in mari motus ciere acerrimos, vna saluti fuit. Fortè nox appetebat, lunáque tum orbem impleuerat suum; quum ex insperato cœpit procella mitius sæuire, ac prorsus commutari tempestas, maréque ipsum, paulo ante feruens, repentè mitescere. disiectis pænè momento ac depulsis nubilis, reddita lux nitidior est, & subita omnium rerum facta permutatio. Iam alius cæli habitus, alia facies maris, ipséque adeò ventus ex aduerso & exitiali prosper & secundus. ipsi ad spem vitæ reuocati vectores & nautæ, cum tandem à sollicito metu respirarent, continuò cursum ad oram Sardiniæ flexerunt. Iter progressi vnius diei, noctem proximam fæda rursus tempestate retenti sunt, quòd laceratis armamentis, conuulsóque

roſtro nauis, átque adeò imminuto remigum numero, nulla parte vires ſuppeterent, vt cum toties vulnerata, quaſſatáque naui ventum in aduerſum niti ſatis auderent. Cuncta poſtridiè commodiora, ventorúmque flatus magis proſperi: perendiéque ad Algarium inſulæ Sardiniæ vrbem inuecta portum triremis eſt: & aquatum egreſſi nautæ, cum eius laticis inopia diem iam vnum & alterum premerentur. Ioannes Auſtriacus ſub ignoti perſona delituit, ſtudióque viſendæ vrbis exſcenſionem fecit, & manipulo ſuorum immixtus ſitum vrbis, ædificia, munitionéſque, & quicquid vſquam eximium fuit, curioſius inſpexit. inde cum ſoluiſſet primis tenebris, in Corſicam, quæ freto peranguſto dirimitur, vento ſecundo tranſmiſſurus, retrò in Sardiniam tempeſtate reiectus eſt: néque indè niſi quinto poſt die (tot enim dies venti aduerſi tenuerunt) licuit in Corſicam traijcere. At enim in Sardinia dum vniuerſi deſident, ac ocioſi finem tempeſtatis expectant, incertum grauitate cæli, an qua re alia, Fernandi Carilij vulnus, & dolor ſopitatus recruduit. qui cum nauis iactationem vltra pati non poſſet, in ea inſula iuſſus fuit ab Auſtriaco vulneris curandi cauſa ex itinere ſubſiſtere. Ipſe deinde Ioannes æſtu ſecundo tranſgreſſus Aiacium in Corſicam, nuſquam ab ignaris, quid veheret illa nauis, facta exſcendendi poteſtate, ad oram Liguſticam, mutata ſcilicet velificatione, contendi iuſſit. Ab Corſica venientibus ad eam oram proximus occurrit portus Finus, viceſimo ab vrbe Genua lapide. Eò cum ſubiſſet prætoria, magnique beneficij loco peteret Aloyſius Podericus, (néque enim facta Ioannis mentio eſt) vt ſibi magnis de rebus Mediolanum properanti liceret portu recipi, & in terram deſcendere, negatum fuit, cuiquam inconſulto Senatu portum patere. Ergo ſublatis prima luce anchoris direxit Genuam, & prima noctis vigilia triremis ex alto inuecta in portum

Genuen-

Genuensem est: impetratóque, vt in terram liceret exscendere, Ioannes Aloysium Podericum pæne cum vniuersa aulicorum cohorte ad parandos meritorios equos dimisit, iussum postridie manè ad d. Petrum Arenæ (ità loco nomen est) adesse; quò se mox ipse post collustratam magnam partem eius opulentissimæ vrbis cum geminis contulit aulicis. nam eò, minus celebrem in locum, vitatâ vrbis frequentiâ, placuit hospitio diuertere. Vicesimo, posteà quàm nauim conscenderat, die Genuæ portum tenuit, eo maiore omnium lætitia, quo propior exitio res fuerat. Neque tamen, cum adhiberetur summa cura in eo, ne quibus de Ioannis aduentu emanaret indicijs, potuerunt hominum & suspiciones & sermones vitari. Sed enim vix secus poterat in ciuitate eius in expectationem erecta, cui & paratæ publicè ædes summo splendore, & instructæ triremes, quæ venienti statim occurrerent, & per totam oram Ligusticam dispositi legati, viri primarij, qui Ioannem exciperent, deducerentque. neque sanè tum æstimatione eorum comitum ac temporis, tum collatione rerum multarum, tum etiam tot literarum atque nunciorum consensu, qui de Ioannis aduentu præmonuerant, vanis ducebatur ea ciuitas coniecturis, maius aliquid ea triremi vectum fuisse, quàm quod appareret. Et quamquam quò plures concursabant, eò seueriore lege Ioannes sanciuerat silentium, interminatus si quis fidem fefellisset: tamen Ducis Tursij, pro eius in Austriacum nomen singulari studio, fuit tum maior in odorandis rei vestigijs sagacitas: tum vbi vanis ad secreta tegenda nautarum ingenijs nescio quid ei suboleuit, acrior in exquirendo Ioanne diligentia. Eam causam Ioannes habuit, cur sequi cæteris iussis, ipse maturiùs cum Amatæ Domino ad portum Decimum octauo indè lapide procederet. Eò quóque Tursius progressus est; qui cum certi nihil comperisset, & equis

 citatis

-citatis præteruheheretur, ne re infecta diutius vir officij plenissimus exerraret, festinantem celeres Ioannis nuncij sunt consecuti, monueréque, Ottagij, quod oppidum ditionis Genuensis est, copiam congrediendi, colloquendíque futuram: ibi Ioannem opperiretur. Ergo regressus Tursiüs (nam cursus cum longius abstulerat) cum Austriacum & suo, & Reip. nomine adisset, comiter benignéque susceptus est, ac postero die domum remissus. Serauallum ab Ottagio petijt Austriacus (primum id oppidum est agri Mediolanensis:) nullóque cessans loco indè recta Derthonam contendit: néque diutius in eius vrbis contemplandis munitionibus immoratus Vogheram processit, quem ad locum Marchionis Caracenæ Mediolanensis Prouinciæ Gubernatoris missu, mutatis ad celeritatē equis, Ioanni Comes Hercules Vicecomes occurrit: atque postridie manè, qui comperta referret, Comes idem cum certis mandatis ad Caracenam remissus. Postridie Ioannes ab Voghera profectus, Ticinum contendit, vrbémque ingressus, sicut non magnā, ità Regum Longobardorum regia claram, & recenti Gallorum oppugnatione nobilitatam, paucis horis ad cognoscenda superioris obsidionis vestigia moratus, eodem die ad Carthusianorum cœnobium opibus, templíque structura per gentes inclytum processit. Eò se confestim officij causa contulit Caracenæ cum epistolis Antistes Vigleuanensis: mox & ipse quóque nocte concubia affuit Caracena, diéque proximo proceres exercitus, viríque ex vniuersa prouincia primarij. quo die (is fuit ante VI. Kal. Aprilis) curru proximè ad vrbem Mediolanum vectus, ad villam suburbanam diuertit; illum enim domicilio delegerat locum. paucos ibi moratus dies, dùm à iactatione vires repararet, omne id tempus visendis vrbis operibus consumpsit. Ad ædem Metropolitanam, quæ Basilica, veterum Regum exæquat miracula, ad arcem Iouis,

 átque

atque ad Ambrosianum cœnobium circumijt: hæc non ad Manfredi Septalæ perelegantem pinacothecam, effertam signis, speculisque artis Archimedeæ, multisque alijs rebus antiquitate, artificio, aut etiam, vt hoc vtar verbo, raritate conspicuis, quas multorum studio annorum cumulauit, & aut à finibus remotissimis Asiæ & Americæ accersiuit impenso pretio, aut ipse affabrè, mirus scilicet artifex, elaborauit: Illa quum spectabat Austriacus, ipse vicissim ciuitati vniuersæ; perquàm iucundo spectaculo fuit. Cum enim vndique multos mortales contraxisset studium visendi principis clarissimi, cui Rex idémque parens toties curandas ægras regni partes tam feliciter mandauisset: qui pænè adhuc prætextatus toties triumphasset de hoste: cuius deniquè vitâ, spiritúque pænè tota Regni tum dignitas, tum stabilitas niteretur; mirum est, quàm auidè quisque Ioannem requireret oculis, & quemadmodum eo spectaculo expleri, satiarique nemo posset. frustra dissimulandæ magnitudini quæsitus ab eo cultus, aulicorum à cultu nihil abhorrens: frustra locus in vehiculo postremus electus, cum ipse frontis honos facilè principem monstraret vniuersis. Fauebat quisque famæ tot rerum ab eo gestarum, à quo nihil esset adhuc improsperè tentatum: iuuenémque clarum titulis sedati Siculi & Neapolitani tumultus, vndè famam auspicatus fuit, expugnatæque arcis ad portũ Longonũ, & per totretũ discrimina reuocatę ad obsequium Barcinonis, tótque in eo tractu tum propugnatarum, tum expugnatarum arcium, tanquam cælitus delapsum intuebantur. Iam illud dum secum reputabant, eum esse amores atque delicias Regum vt maximi, ita optimi; querebantur à spurcis latronibus esse factum indignissimè, qui adolescenti eiusmodi nuper in Balearico mari tantum periculi creauissent. ijdem cum lætas faces oculorum, florémque ipsum ætatis, coloremque

rémque illum inter aquilum, candidúmque, mirificum scilicet illicem & conciliatorem amoris, & compagem eam totam vegeti corporis adamarent, ferebant præcipuè in cælum rumore secundo comitatem, modestiam, átque pietatem, nemóque non indolem artésque Austriacas lubens, lætúsque in Ioanne agnoscebat: & cum omnium esset vnus habitus animorum; omnia læta; omnia fausta precantium Austriaco, quísque iam Belgicas ei victorias, Galliæque pestem & perniciem augurabantur. Inter huiusmodi vota ciuium prodibat Ioannes in publicum. Per hos dies Theodori Cardinalis Triuultij, qui Caracenæ successor in prouinciam, tum forte administrationem auspicabatur, precibus haud grauatè annuit, vt apud eum diuersari mallet: ab eóque fuit & pro hospitis fortuna, magnitudinéque, & pro inuitantis magnificentia, quæsitissimo apparatu, planéque basilicè acceptus. Tertio post die, cum ante se ad gynæceum ad visendam Ioannam Principem Cardinalis neptem contulisset, ab ipso demum Theodoro Cardinali, Herculeque Principe est digressus: & vitata celebriore ac militari via, in qua suboluerat equestrem ordinem prçstò in rhedis esse fermè vniuersum, vt Ioannem ad extremos Prouinciæ fines deduceret, consenso repentè vehiculo, sese clanculùm aliâ viâ ex vrbe proripuit, atque ciuium ex oculis: noctémque proximam Brignani exegit apud Alfonsum Vicecomitem. Nec quisquam, cum multi certatim id expeterent, prosecutus proficiscentem est, prætérquàm hic ipse Alfonsus, eiúsque propinquus Co. Hercules Vicecomes (hunc sibi in vtráque tum Iluensi, tum Barcinonensi expeditione spectatum, & prçcipuo candore animi, ac militaris industriæ commendatione percarum; secum Ioannes in Belgium abduxit) & Quçstor Marchióque Hieronymus Stampa; qui militiæ muneribus, & crebris ad Italiæ Regulos legationibus perfun-

ctus,

ctus, tum scilicet ob morum suauitatem, & persæpe spectatam in mandatis exequendis vigilantiam lectus potissimùm vnus à Caracena fuit, qui prouinciæ fines ingresso Austriaco obsequij causâ hæreret ad latus, ædibúsque ac epulis curandis, sumptibúsque ad aulæ necessaria subministrandis deseruiret. At cum a Brignano biduí iam itinere esset progressus, spacióque aliquanto esset ingressus Venetæ Reip. fines, ingens cupido animum incessit adeundi Patauium, vrbem inclytam D. Antonij Olysipponensis nobili templo, quod auro, argentóque plurimo, ac lapidum eleganti magnificentia exornatum indigenæ honore præcipuó colunt: quó etiam pietatis causâ vicini, & omnium ordinum peregrini quotannis contendunt, donáque certatim offerunt splendida. Ergo inuitante præter pietatem, ipsius quóque vicinitate loci, cæteris aulicorum iussis recta Tridentum petere, ipse cum Co. Hercule, seruulísque duntaxat duobus, per dispositos equos Pescheriam, Veronam, átque Vicentiam prætervectus, die proximo iam in vesperam inclinato Patauium peruenit. Diuóque salutato, Medoaco (Brentam vocant Itali) se amne secundo deuehendum Venetias (nam illuc quóque visus fuit posse excurrere) commisit: diem solidum impendit contemplandæ Venetiarum vrbi præpotenti, quæ velut miraculo diuûm inter euripos, & æstuaria superi maris condita, non vrbs vna quæpiam opulenta est, sed officina orbis terrarum, & emporium humani generis: frenósque iniicit Othomanicæ auiditati: ac ità situ suo, ità nauali, templo, armamentario, auróque cumulato est admirabilis, vt mirabilior re nulla sit, quàm legibus suis & institutis, quibus seruandis ea Resp. stat inconcussa, florétque, & suam à tot iam sæculis libertatem imperiúmque tuetur. Emigrantem Austriacum frustra contendit retinere Orator apud eam Remp. Hispanus, Marchio à Fonte. huius enim viri

fidem.

fidem eximiam, & dignitatem hoc honore dignam Ioannes deputauit, cui se vni aperiret, cæteris tectus, & occultus vniuersis. is reluctantem aggressus precibus summis, infimísque, vt apud se dies aliquot fesso corpori ad quietem daret, cum niteretur disertus esse in ea re, suóque desiderio iustam, probabilémque causam prætexeret valetudinis; nihil tamen eis precibus, monitísque, nisi suum hero studium, obsequiúmque probauit. Nihil deinceps via digressus Austriacus magnis in Belgium properabat itineribus: neque exundans alueo Medoacus, néque corruptæ multo cæno viæ, néque imbres maximi remorati festinantem potuere, quò minus, quò cœperat, pertenderet. Mestruo, Taruisio, Bassianóque pertransitis ad primores fines Tyroli deuenit; præmissóque Oenipontem (vulgò Inspruch appellant) qui Ferdinandum Carolum Archiducem suo de aduentu doceret, exceptus tùm humanissimè, tùm honorificentissimè fuit. inibi cum nullis precibus néque Carolus Archidux, néque frater eius Sigismundus quiuissent impetrare, vt Ioannes tùm primùm in eas regiones delatus, dies aliquot daret duobus Principibus cupientissimis, & cognatione, amoréque coniunctissimis, átque interim à nimia itineris contentione respiraret, demum adhibitæ muliebres Annæ Archiducis blanditiæ, precésque peruicerunt, vt reluctari desineret, eorúmque obsequeretur voluntati. ludis, conuiuiorum hilaritate, agitandis equis, & pereleganti spectanda fabula, dies terni consumpti, quos Ioannes Principum gentilium desiderio tribuit. Néque sanè in eo colendo, ornandóque quicquam est prætermissum, quod in rerum, aut in verborum honore positum esset, átque cum vtrinque certaretur officijs, decedens inde Ioannes sex nobiles Archiducis aulicos, qui sibi deseruire ad cubiculi, ad mensæ ministeria iussi fuerant, donauit gemmis pretiosis: cæteros aulicorum donatiuo M M. aureorum prosecutus.

secutus. Oeniponte profectum excepit Bauaria, diéque altero Augusta Vindelicorum, átque deinceps Franconia, tum ipsa Francofordia: quæ vrbs ad Moenum fluuium sita, nobilissimum est Germaniæ totius emporium. Ventum ad Rhenum erat: vbi cum rumor spargeret, intutum esse prono eo amne defluere, ac illud iter esse latronum infestum insidijs, non temere se Ioannes in eam aleam dedit: sed adhibitis ad custodiam corporis L. fistulatoribus nauim conscendit. Eo stipatus agmine Moguntiam primis tenebris peruenit, quam vrbem agri vbertate, ædificiorum tum elegantia, tum magnificentia, pluribúsque antiquitatis monumentis nobilem Rhenus alluit. Eodem inde cursu progressus ad vrbem Cotlens, quæ ditionis est Treuirensis Antistitis, Septemuiri Augustalis, Coloniam Agrippinensem è vestigio perrexit. Iuibat tum forte mensis Maius. præstò inibi fuerunt equites DCCC. Ioannem Belgij fines ingressurum tùm splendoris, tùm præsidij causa deducturi: pars è copijs Condæi Principis cum epistolis eiusdem Principis ad Ioannem humanissimis: pars è copijs regijs, quas missu Comitis Fuensaldagnæ ducebat Princeps Ilinghien, Geldriæ Gubernator. Affuère ibi & ab Leopoldo nuncij, qui docerent, Archiducem occurrendi causa ad templum Deiparæ Montis Acuti processisse, (Bruxellis abest is locus spacium fermè diei) ac inibi Austriacum aduenientem opperiri. Coloniæ diem vnum substitit Ioannes: ac indè equis in Iuliaci fines (Guliers Belgis est) progressus, Castrum ab Duce Neuburgensi perducitur in hospitium. protinúsque in Geldriam (Sicambros antiqui dixere) contendit, átque die proximo Ruremundam: quò euocatos è Bruxellis primarios belli duces Co. Fuensaldagna lætos, gratantésque Ioanni stitit. quos Ioannes comitate allocutus militari ad audendum confirmauit, multóque quàm venerant alacriores remisit. Inde Ioan-

 nes

nes curru vectus est ad oppidum VVert: diéque secundo Peer agri Leodiensis peruenit: Distéque tertio die stadia XII. à templo Deiparæ Montis Acuti. sed præcipuè conuertit in se omnium oculos, animósque congressus ipse Ioannis Austriaci cum Austriaco Leopoldo, florentissimi iuuenis cum Principe maturâ gloriâ, & iam ætate ingrauescente: pænè adhuc tyronis, sed cuius nullusdum fuisset in re militari irritus conatus, cum duce veterano tàm emeritæ militiæ, qui acie toties conflixisset cum hoste, qui hostem toties fudisset: deníque tradentis prouinciam, & in eius locum succedentis: cum par esset in vtróque beneuolentiæ synceritas; gemella germana comitas, simillimúmque studium religionis, & propè eadem tractandorum animorum ratio átque dexteritas. Diù cum is congressus in expectatione fuisset, mirificè iucundum spectaculum præbuit: cum vtérque alteri tantum tribueret, quantum quisquam humanissimus posset cuiquam summo viro tribuere: átque ita alteri concederet vtérque cæteris rebus omnibus, vt benignitate, officióque neuter alteri vellet concedere. spacio in medio, quod inter Diste, templúmque interiacet, sibi Principes occurrêre: currúque confestim vtérque desilientes, ruêre in amplexus, functíque magno cum honore verborum mutua salutatione, rem deníque eò deduxerunt, vt Ioannes Leopoldi currum conscenderet. Digredientem ab Ioanne Leopoldum, & Bruxellas repetentem comitabantur aulici à cubiculo, cęteráque aulæ ministeria. Belgæ verò nobiles, coronáque procerum, multum exosculati dexteram Leopoldi, eius nutu cessere Ioanni, eique deinceps frequentes apparuere. turmæ adeò ipsæ prætoriæ, tabernaculo assuetæ Leopoldi, transierant ad Ioannem, quas ille, re comperta, confestim iussit ad stipandum Leopoldum reuerti: cui quandiù fuit in Belgio, suus mansit honos & fortunæ superioris apparatus. XV. ab eo

loco

loco lapide Louanium est, Brabantiæ vrbs perantiqua. Eò cum Ioannes appropinquaret, obuiam ei cum frequentissimo Gallicæ nobilitatis comitatu, & cum maxima sui equitatus parte processit Princeps Condæus, qui se Bruxellis ad illam vrbem, eius officij causâ contulerat. Congressus ac prima salutatio, qualis superior cum Archiduce fuit, cum summo vtrinque honore verborum. ingressíque vrbem, rectâ Condæi ad ædes. à quò Ioannes eo die, regio scilicet apparatu, epulísque acceptus conquisitissimis, quibus tibiæ, fidésque átque symphoniaci adhibiti, & quicquid esse poterat regalis opulentiæ. átque à cœna statim, quæ in multam producta noctem fuit, ad sibi paratas ædes (eæ è regione ædium fuere Condæanarum) Principe ipso Condæo, cæterísque deducentibus omnibus est profectus. Postridiè cum Bruxellas ab eo loco petens ità temperaret iter, vt ne ante primam facem iniret vrbem, occurrerunt à Comite Fuensaldagna celeres nuncij: Auidissimè eius aduentum expectari: vim pænè infinitam mortalium ex omni Belgio, finitimísque locis illuc confluxisse: se precatorem, se adhibitum oratorem, vt Ioannes de se gaudium populo summum impertiret: interdiúque mallet inter confertos amantissimorum ciuium cuneos, inter militares plausus, faustásque omnium voces intrare vrbem sui cupientissimam, quæ se tota ad spectaculum omnium optatissimum effudisset. Ergo precibus tàm pijs pro sua Ioannes comitate obsequendum ratus, gradum approperari iussit: mediúsque inter primores belli duces plumis, torquibus, & renidentibus multo auro sagulis pro sua cuiúsque copia perornatos ad portam processit, tantâ rhedarum pompâ ponè sequente, ordinéque tam longo, ac indigenarum tanto vbique concursu, qui venienti benè precabantur, & sui Principis filium verissimis affectibus venerabundi salutabant, vt per lictores ægrè submoueri turba, itérque in vrbem fieri

 posset.

posset. aduenienti oblatæ, traditæque claues sunt vrbis. ità gentis mos est, habéntque id in primore, átque fortasse in præcipua parte obsequij, quoties primò suorum principum aliquem excipiunt. Quo minus verò ad primariam d. Gudulæ basilicam cum omni comitatu statim à via festinaret Austriacus, primæ noctis tenebræ in causa fuerunt. Eò tamen haud ità multò post, cum ante Condæum excepisset, qui omnis officij diligentissimus Austriacum visere, eíque aduentum gratulari maturauerat, curru profectus fuit ad venerandum, propitiandúmque sibi in eo templo numen, pacémque superûm exposcendam. vbi præcipuè Diuam loci præsidem, cuius in tutelâ ea ciuitas esset, precatus fuit, vti se volens, lubénsque velut in fidem suam & clientelam acciperet: átque sibi tum primùm eas terras ingresso vellet eam rem benè vertere: rémque publicam & arma capessenti esset propitia. Postera luce salutatum Ioannem Austriacum multis agminibus frequentes iuêre magistratus, quibus se mirificè comem præbuit & honorificum. dederúntque se ei in aulicos interiores, átque ad aulæ titulos & honoratiora ministeria viri gentis clarissimi, qui Leopoldi Archiducis asseclæ & contubernales fuerant, Comes Salazarius Cameraci Gubernator: Comes Sancti Amoris & Marchio Treceníes, hic Tornaci Gubernator, ille Namurci: Marchio Tulonis Prætorianæ cohortis, Belgarúmque Cataphractorum præfectus: Melchior Portocarrerus frater Comitis Monteclouæ: ac deníque ipse Princeps Isinghien, cuius ante meminimus, eques aurei velleris, & Geldriæ moderator, lectíque tum in præfectum Stabuli Marchio Zerralui: tum in palatinos Oeconomos, reíque familiaris curatores Dominus Dramelay, Comitésque Ourrel, & Moteriæ. átque ad hunc modum cæteris distributis muneribus, ordinatáque summo cum splendore aulâ, mens statim omnium, animúsque ad belli consilia & curas conuersus.

O*Pus hoc, quod inscribitur* Ioannis Austriaci fragmentum Historiæ *ab Adm. Reu. Alexandro Perlascha Sacræ Theologiæ Doctore, ac eruditissimo viro summa cum industria, ac non minori labore compositum Ego P. Cæsar Zocchus pro Reuerendissimo Inquisitore recognoui, ipsumque typis dignum existimaui, in quorum fidem.*

Ego P. Cæsar Zocchus affirmo vt supra.

Mediolani die 18. *mensis Octobris* 1657.

Imprimatur attenta relatione infrascripta.

Fr. Basilius Magister, & Commissarius Sancti Officij Mediolani.

Io. Paulus Mazuchellus pro Illustrissimo, & Reuerendissimo D. D. Archiepiscopo.

Franciscus Arbona pro Excellentissimo Senatu.



MEDIOLANI, MDCLVII.

Ex Typographia Ludouici Montiæ
ad Plateam Mercatorum.

31